

tunt ad mentem Pacii: *Omnis anima potentia corpus aliud participare videtur, idq; magis divinum, quàm ea, quæ Elementa adpellantur. Ut verò nobilitate ignobilitateve anima inter se differunt; ita & natura ejus corporis differt. Inest enim in semine omnium, quod facit ut fecunda sint semina, videlicet quod calidum vocamus. Idq; non ignis, neque talis aliqua facultas, sed Spiritus, qui in semine spirituosus corpore continetur, & natura, quæ in eò Spiritu est, proportionè respondens Elemento stellarum. Ut & quæ ibid. leguntur: ὅτι μὲν ἐν ἡ ἐν τοῖς ζώοις θερμότης ἔτε πῦρ, ἔτε δὲ πῦρ ἐξ ἑαυτοῦ ἔχει τὴν δέχνην, φανερόν. Calorem in animalibus neq; ignem, neq; ab Igne originem ducere, manifestum est. Ex quibus colligunt, calidum innatum vinculum & medium conjunctionis animæ cum corpore esse: Calidum innatum basin & fundamentum esse omnium operationum, quæ in viventibus perficiuntur, cum earum quæ ad corporum formationem & elaborationem requiruntur, tum illarum quæ in corporibus formatis & elaboratis conspiciuntur: Calidum innatum esse σῶμα illud ἔτερον ἢ θεϊότερον τῶν καλεσμένων στοιχείων, corpus illud aliud, idq; magis divinum quàm ea quæ elementa vocantur: Calidum innatum esse ἢ πῦρ ἢ τὴν αὐτὴν δύναμιν, ἀλλὰ πνεῦμα, non Ignem, neq; talem aliquam potentiam & naturam, sed Spiritum: Calidum innatum habere φύσιν ἀνάλογον ἔσσαν τῶν ἀστέρων στοιχείω, naturam quæ proportionè respondet Elemento stellarum. Vide Sperlingium l.c. pag. 10. & 11.*

XXVII. Equidem in nullius juravimus verba, nec Aristotelis auctoritati, quâ pollet præ omnibus maximâ, tantum tribuimus, ut nudum ejus testimonium acceptemus pro argumentò. Lubentes ab eò recedemus, sicubi falsi ab aliquò fuerit convictus. Sed injuria fit hîc Viro optumo, quæ non immeritò propulsanda. Certè nunquàm aliter, quàm Elementaris naturæ esse nostrum Ignem, (ita enim vocat calidum innatum scæpies) est professus, ut Libros ipsius legenti patet, & fusiùs demonstratur à Nobiliss. Conringio l. c. Cap. VII. pag. 50. & 51. Nobis unus ac alter locus sufficiat. Lib. II. de animâ c. IV. de Leucippò ac Democritò disputans, quod Ignem causam nutritionis